

trecentesimo quadragesimo nono. Volentes igitur nos vestris petitionibus satisfacere, cum predicto magistro Benedicto, homine vestro, discretum virum magistrum Dyonisium Archydiaconum de Varasd, socium et concanonicum nostrum, ad premissa exequenda pro testimonio duximus transmittendum; qui demum ad nos redeuntes, nobis concorditer retulerunt, quod cum ipsi iuxta vestrum mandatum accessissent ad locum in Kamarcha, qui vocatur Jakovzeredahel, ubi universi nobiles et regnicole feria quarta proxime preterita post festum inventionis sancte crucis convenerant pro quibusdam expeditionibus eorundem, ibique ab ipsis nobilibus et regnicolis seriose requisivissent, que tributa, et in quibus locis inter Zavam et Drayam iniuste exigenterentur, et contra antiquam observationem? tandem dixerunt se ab eisdem nobilibus et regnicolis veraciter et certitudinaliter rescivisse, quod tributum, quod nunc in Rakonus a transeuntibus exigitur, esset iniuste et indebite impositum tempore Mykch quondam Bani, et per ipsum, nec unquam ibidem alias fuisset constitutum tributum. Item in Poroztoch, Vukorja, et apud Ecclesiam Sancti Johannis de Sabnycha, similiter tempore eiusdem Mykch Bani, fuissent imposita tributa indebita et iniusta, que usque hodie a transeuntibus indebite exiguntur. Item in Hraschyna tempore domini Nicolai filii Stephani quondam Bani fuisset impositum tributum similiter indebite et iniuste, quod usque hodie exigitur indebite et iniuste. Item in fluvio Cranya vocato, ubi in magna via, qua itur ad Gerencham, quidam pons existeret. Item circa arborem Jegyna et in fluvio Breznychy, ubi quidam Jobagio nomine Gregorius pertinens ad Racham resideret, similiter tributa indebita et iniusta exiguntur, que tempore vestro fuissent instituta, que nunc per Stephanum filium Thome officialem vestrum de eadem Racha indebite exiguntur. Item in Zobochina in ..ekovch et Zybovch tributa indebita exiguntur, que tempore vestro fuissent instituta indebite et iniuste. Item in Megeriucha in sex locis tempore vestro tributa fuissent instituta, que usque hodie indebite exiguntur. Item in Borsonovch in septem locis tempore domini Nicolai filii Stephani quondam Bani fuissent tributa indebita et iniusta, que usque nunc indebite exiguntur et iniuste. Item in Gersencha quoddam tributum indebite exigitur et iniuste. Item in Gutryg solum fuit tributum fori ab antiquo, in quo quatuor denarii de curru exigebantur, nunc autem in quinque locis circumquaque tempore Nicolai filii Stephani quondam Bani tributa instituta, per vestros indebite exiguntur et iniuste. Item prope Ecclesiam Sancti Jacobi in Polosnychy, tempore magistri Stephani filii Mykch quondam Bani et per ipsum fuit quoddam tributum iniuste institutum, et nunc per vestros indebite exigitur et iniuste. Item in Velyka duo tributa in viis, unum videlicet in villa Velyka, et aliud in villa Pukar per vestros indebite exiguntur et iniuste. Item in Gordoa duo tributa in viis tempore Nicolai filii Stephani quondam Bani iniuste fuissent instituta, que et nunc per vestros indebite exiguntur et iniuste. Item in ponte fluvii Toplica in possessione Ladislai filii Jacobi prope Zdench, tempore Mykch quondam Bani quoddam tributum indebite fuisset institutum, quod usque hodie sic indebite exigitur et iniuste. Item in Detha et in Gerkonokfeu de novo duo tributa per magistrum Stephanum filium Mykch quondam Bani fuissent indebite instituta, et nunc indebite exiguntur et iniuste. Item in Cerekorda in possessione magistri Johannis filii Mark quoddam tributum fuisset indebite institutum, et nunc per Castellatum vestrum de majori Kemlek indebite exigitur et iniuste. Item investigando diligenter rescivissent, quod ab antiquis temporibus